

»mus.» Ex quibus apparet praeceptum charitatis non tantum per accidens et vi aliorum praeceptorum, quae sine charitate adimpleri non possunt, sed primo per se et ex vi praecepti divini et naturalis aliquando obligare. Quando et quomodo determinate obliget vide apud moralistas (1).

Praecepto charitatis erga Deum proxime succedit praeceptum ejusdem charitatis erga nos et proximum, auctore ipso Christo (2): *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: qui illud usque ad inimicorum dilectionem exemplo suo confirmavit, verbo commendavit (3): *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: et signum esse voluit discipulorum suorum (4): *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Hoc praeceptum comprehendere inimicos quoad communem amorem debitum hominibus clare tradidit Christus (5): *Diligite inimicos vestros*; et ipsa probat naturalis ratio, quia «inimicus, ait Suarius (6): a) est proximus et capax beatitudinis. b) Deinde quod tibi non vis alteri ne facias; at omnes volumus amari, etiam ab his, quos offendimus. c) Adde quod vindictam sumere ab inimicis propria auctoritate, est contra rationem naturalem; ergo et appetitus vindictae, cui contrarius est hic amor: d) Tandem hic amor est maxime necessarius ad conservandam justitiam et pacem inter homines, ad quem finem referuntur praecepta secundae tabulae.» (i. e. a. IV, ad X.) Quomodo, quando et ad quae obliget charitas erga semetipsum et proximum vide apud moralistas.

II. Fuere inter haereticos, qui adeo urserunt charitatis necessitatem, ut statuerint cum Luthero, Calvino, Baio et Jansenio medium non dari inter charitatem et vitiosam cupiditatem, ideoque actum a charitate non elicitem oriri ex prava cupiditate et esse malum. Hanc falsam haereticorum sententiam emollire conati sunt theologi catholici augustinenses dicti, juxta quos licet spectato fine

(1) Suarez. (De charitate. D. 5, sect. 3, n. 5), ait: «Articulus temporis non tam affirmative quam negative assignari potest: sicut in praecepto restitutionis dicitur obligare ad non multum differendam restitutionem, licet non possit assignari primum instans restitutionis, ita dico post usum rationis teneri hominem non multum differre actum amoris, praecipue ut cognovit Deum esse ultimum finem, et esse sic diligendum, hinc sequitur etiam post primum actum, teneri hominem non prorsus cessare tota vita ab hoc amore, sed aliquando illum iterare... est enim consentaneum, ut Dei amor, propter quem creatus est homo, et qui est ultimus finis actionum, non semel tantum ac iterum in tota vita habeatur. Quare, qui per multos annos non exercet hunc amorem, delinquit contra hoc praeceptum, quantum vero futurum sit hoc tempus, prudentiae relinquendum est.»—(2) Matth. XXII, 39.—(3) Joann. XV, 13.—(4) Joann. XIII, 35.—(5) Matth. V, 22.—(6) De charitate. D. V, sect. 5, n. 3.

proximo et principio elicitive, possit saepius esse honesta et laudabilis actio absque charitate, quia tamen per se non refertur ad ultimum finem, aliquid ei deest ut sit simpliciter et ex omni parte bona: ergo si homo per imperium charitatis saltem imperfectae actionem suam ad ultimum finem non refert, peccabit venialiter ratione omissionis debitae ordinationis in ultimum finem. Proportionem servata iisdem argumentis quibus haeretici et ipsi confunduntur.

164. Prob. 1.^o Ex propositione 7.^a damnata ab Alexandro VIII. «Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.» Ergo inter cupiditatem et charitatem seu dilectionem Dei etiam imperfectam, datur aliqua actio quae non procedens a dilectione Dei sit bona. Sed non esset bona nec mere indifferens, si ex solo defectu ordinationis per charitatem evaderet venialiter mala. Ergo...

2.^o Ut in disquis. de gratia (1) specialiter probatur, dantur actus humani tum in infidelibus, tum in peccatoribus moraliter boni, qui ex gratia non oriuntur; et ex probatis in hac disquisitione actus spei aut timoris sunt supernaturales, insuper communis theologorum sententia admittit in justo virtutes morales supernaturales infusas, ex ipsis objectis, quae respiciunt, honestas et sanctas. Ergo non omnis actus, qui a charitate non oritur, est malus. Ergo neque ab ipsa debet imperari ut sit bonus vel ordinatus. Ultima consequentia prob. nam praedicti actus ex solo suo motivo, absque charitatis imperio sunt liciti, boni et supernaturales. Ergo non omnes actus, ne ex aliqua parte mali sint, debent respicere motivum saltem extrinsecum charitatis.

3.^o Ex falsis consecrariis, quae ab opposita doctrina eruerentur; nam si vel charitas imperfecta necessaria esset sive ad eliciendum, sive ad imperandum quodcumque opus bonum: a) In magnis peccatoribus ubi deficit omnis amor, etiam deficeret fides supernaturalis, cum deficiat omnis bonitatis et supernaturalitatis requisitum principium. b) Peccatum esset, quidquid non ex fide supernaturali per charitatem operante proveniret. c) Necessum esset infidelem in omni opere peccare. d) Specialiter contra Augustinenses sequeretur peccare eum, et si peccator fuerit, fieri magis peccatorem, qui solum odio habet peccatum propter ejus turpitudinem, sine ullo ad Deum offensum respectu; quandoquidem jam ex solo defectu ordinationis per charitatem timor est venialiter malus. Sed haec consecraria damnata sunt in propositionibus 8.^a, 9.^a, 11.^a, 12.^a,

(1) Disq. IV, Thes. XXX.

ab Alexandro VIII proscriptis; quarum 9.^a sic dicit: «Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.»

Praeterea ultimum consecrarium etiam non consonat doctrinae a Tridentino concilio definitae (1): «Si quis dixerit gehennae metum, per quem, ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.»

165. Obj. 1.^o Principaliter haeretici plura Sti. Augustini testimonia similia huic (2): «Fecerunt civitates duas, amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui;» vel huic alteri (3): «Aliud est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tantumque inter se differunt, quantum virtus et vitium.» Ergo...

Resp. His et similibus quaestionibus, quae praesertim in Augustino, nec non in aliis Patribus etiam leguntur, affirmatur omnia opera ut sint bona debere elici ex charitate neg. Affirmatur charitatem esse radicem, formam vi cujus aliae virtutes prosunt et ad fastigium perfectionis tenditur, ita ut seligantur opera bona prae malis; et e contra cupiditatem seu amorem sui esse radicem, etc.; conc.

Obj. 2.^o Paulum scribentem (4): *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ergo datur praeceptum omnia et singula referendi etiam omni tempore saltem virtualiter imperative ad Dei gloriam. Confirm. ex S. Bernardo (5): «Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei.» D. Thomas exponens adductum Pauli locum: «Quidam dicunt quod hoc est consilium; sed hoc non est verum.»

Resp. Explico sensum per distinctionem, omnia in gloriam; nihil contrarie faciendo conc. Positive intendendo: ex consilio; conc. Ex praecepto; Subdist. Per ipsam operis intrinsecam honestatem et bonitatem; conc. Ex imperio charitatis sive actuali, sive virtuali; neg. En quomodo objectum praeceptum explicet S. Franciscus Salesius (6): «Haec verba Apostoli, ut dicit D. Angelicus ea explicans, sunt in sufficienti usu et praxi quando nos possidemus habitum sanctissimae charitatis; per quem licet non habeamus expressam et activam intentionem faciendi quidquid facimus propter Deum, habemus tamen implicite contentam in unione et communione, quam cum Deo habemus, per quam

(1) Sess. 6, can. 8.—(2) *De civit. Dei*, L. 14, c. 28.—(3) *De grat. Christi*, c. 20.—(4) I Corinth. X, 31. Coloss. III, 17.—(5) Serm. 3 de diversis.—(6) *De amore Dei*, l. 8, c. 12.

omne bonum, quod facere possumus, una nobiscum dedicatum est divinae bonitati.»

Hunc sensum non esse: a) alienum a S. Thoma constat ex eodem (loc. cit.) ubi scribit: «Relatio haec in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi; quae non solum est in bonis, sed etiam in indifferentibus.» In quaestione de malo (1) habet: «Contingit quandoque, quod homo actu non ordinet aliquem actum in Deum; cum tamen actus ille de se non contineat aliquam inordinationem, ratione cujus non sit in Deum referibilis; et tamen quia mens hominis est habitualiter relata in Deum sicut in finem, actus ille non modo non est peccatum, sed etiam est actus meritorius.» b) Non esse alienum a SS. Patribus ex praecipuo eorum, qui nobis obijciuntur, fit manifestum, nempe ex S. Augustino (2): «Tota die Deum laudare quis durat? suggero remedium, unde tota die laudes Deum si vis... Discedis ut reficiaris? noli inebriari et laudasti Deum. Discedis ut dormias? noli surgere ad malefaciendum et laudasti Deum. Negotium agis? noli fraudem facere et laudasti Deum (3).»

Instabis. S. Augustinus (4): absolute asserit: «Sine amore Creatoris, nullis quisquam bene utitur creaturis.» Ergo...

Resp. S. Augustinum loqui de bonitate meritoria et utili ab salutem consequendam, ut ex verbis subijctis claret: «Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit (5).»

THESIS XXXI.

In justis non requiritur ut actus sit a charitate elicited, aut imperatus sive actualiter, sive proprie virtualiter, ut sit de condigno meritorius.

166. Nota. I. Supponimus cum communiore sententia opus meritorium de condigno debere esse supernaturale in substantia (6). Haec tamen supernaturalitas solum requiritur ad actus meritorios per se et immediate ratione sui, non vero ad meritorios quatenus substant actui entitative supernaturali, a quo imperantur, aut referuntur ad finem supernaturalem, quales sunt omnes actus interni virtutum acquiratarum, qui ex efficaci imperio actus supernaturalis prodeunt. Hi enim quamvis nude sumpti non placeant Deo in ordine ad finem supernaturalem, nihilominus aptitudinem habent

(1) Q. 9, a. 2.—(2) In Ps. XXXIV, serm. 2, n. 16.—(3) De sententia S. Alphonsi de Ligorio circa hanc quaestionem, vid. Gury, Ballerini not. ad n. 31 de actibus humanis.—(4) L. 4, contr. Julian c. 3, n. 33.—(5) V. V. Disq. IV, n. 54, obj. 3.^o—(6) Disquis. IV, c. IV, Dico I.

quasi obedientialem. ut, conjuncti moraliter relationi supernaturali. componant unum actum moralem consentaneum fini supernaturali.

II. Triplex relatio designatur a theologis, ex charitate proveniens actibus, scilicet, habitualis, actualis et virtualis. Prima consistit in sola existentia habitus in supposito, quando aliud bonum opus operatur; actualis consistit in actuali motione, quae fit per actum charitatis actu existentem et moventem ad actum alterius virtutis; quem ad finem suum ordinat; tertia seu virtualis diversis modis explicatur. Non incongrue cum Suario divides *in proprie virtualem*, si actus praecedens charitatis, mediante aliquo alio actu qui nunc sit, influat aliquo modo in praesentem actum; *in objectivam*, ad quam sufficit actum charitatis mere praecessisse et non retractatum fuisse, quamvis dum operatur v. g. opus misericordiae, nec ejus memoria tunc occurrat, neque alia virtus movens ad operandum ex illo sit relicta; in *innatam* seu *connaturalem*, quae non nascitur ex praecedenti actu, sed ex necessaria connexion inter aliquam virtutem cum virtute charitatis; consistit in naturali inclinatione seu pondere alicujus actus alterius a charitate virtutis in finem ipsius charitatis.

III. His positis, est prima opinio, quae affirmat solos actus elicitos a charitate esse meritorios de condigno praemii substantialis. Ita Bannez, cujus opinionem dicit Suarez (1) nullo modo probandam aut tolerandam esse, quia parum consentanea videtur Scripturis, et communi sensui Ecclesiae et Patrum. Secunda opinio requirit imperium a charitate saltem virtuale proprie dictum. Tertia sententia communior docet actus aliquo modo supernaturales, etiamsi, non elicantur nec imperentur a charitate, esse posse meritorios vitae aeternae, dummodo fiant, ut supponitur, ab homine grato, quare rejicimus etiam necessitatem relationis objectivae, quam nonnulli, saltem pro actibus virtutum acquirarum requirunt (2). Hac thesi confirmantur quae alibi (3) de hac quaestione tacta sunt.

167. Prob. simul utraque pars. 1.º Ex Scriptura, quae saepissime aliis actibus, quam charitatis aut ab ea imperatis, vitam aeternam simpliciter promittit: a) Operibus misericordiae (4) «*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*» «*Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi bibere: hospes eram et collegistis me.*» b) Observationi man-

(1) De gratia. L. 12, c. 8, n. 9.—(2) Valentia. Vol. 2, D. 8, Q. 6, P. 3.—(3) Disq. IV, cap. IV, n. 158.—(4) Matth. V, 7, XXV, 34, 35.

datorum, quorum multa pertinent ad virtutes a charitate distinctas (1): *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* c) *Omni tandem operi bono.* Paulus (2): *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Unde Tridentinum (3): «bene operantibus usque in finem proponendam esse vitam aeternam... tamquam mercedem... bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddendam.» Ergo sufficiunt opera bona in homine grato ut detur meritum de condigno.

2.º Ex Patribus, qui solum exigunt opera salutaria procedere ex fide seu fine supernaturali aliquo ut sint in homine grato meritoria. S. Leo (4) de operibus naturalibus misericordiae ait: «Non sunt fraudanda sua laude, si propter naturae communicationem fiant; sed quia non ex fidei fonte procedit, (operans) ad praemia aeterna non pervenit, ideo alia est conditio operum caelestium, alia terrestrium.» Loquendo de bonis operibus, Auctor *lib. de ecclesiast. dogmat.* (5) ait: «Melior est continentia (quam nuptiae), sed non sibi sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiae retinetur, sed si et cum affectu, causa vacandi Domino eligatur.» Abstinensibus a vino vel carnibus, pro amore castigandi corporis, nihil credere meriti accrescere, non hoc christiani sed Joviniani est.» S. Prosper (6): «Implendae voluntatis Dei ita est praordinatus affectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum.»

3.º Ratione; quia omnis actus virtutis infusae, praecise secundum se, abstrahendo a charitate illum imperante et ab actu charitatis mere praecedente est dignus laude et praemio supernaturali in substantia, meritum filii, ac proinde proportionatum vitae aeternae haereditati, ut indicat Tridentinum (7): «Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus illis operibus, quae in Deo sunt facta, censeantur vitam aeternam vere promeruisse.»

168. Obj. 1.º Apostolus (8) loquens de operibus praestandis ad consequentiam vitae aeternae dicit: «*Omnia in gloriam Dei facite.*» Sed non omnia sunt in gloriam Dei, si saltem non imperantur a charitate. Ergo.

Resp. Explicando per distinctionem; omnia in gloriam Dei; consilio; conc. praecepto; neg. vel subdist. relatione imperii sive actualis, sive virtualis, proprie dicti vel objectivi; neg. relatione innata; conc. Bona enim opera quamvis nullo modo fiant ex mo-

(1) Ibid. XIX, 17.—(2) I.ª Corinth. XV, 58.—(3) Sess. 6, c. 16.—(4) Serm. 7 de Quadrag. c. 2.—(5) Cap. 64.—(6) L. 2, de vocat. gent.—(7) Sess. 6, c. 16.—(8) I Cor. X, 31.